Accepi tuam Epistolam Clariss: D. Doctor, quae mihi optimae tuae
erga nos voluntatis, et perpetui officij nomine fuit gratissima.
In quo ut in finem usque (quod te facturum minime dubito)
perseveres quam possum rogo obnixissime. Ego, si unquam dederit
facultatem Dominus, haud me sum praestiturus ingratum.
Res belgicae in dies meliori se loco habent, ita ut magna
sit spes, in tantis rerum difficultatibus, Domini manum
praepotentem, hoc tam foeliciter et admirabiliter inchoatum
opus, ad finem orbis pijs optatum esse perducturam.
Pleraque Flandriae et Brabantiae Civitates vel palam ab
Albano deficere, vel certe praesidia eius recusare constat.
Hollandiam enim prope universam nobis reddendi esse addictis-
simam, non potest isthic esse obscurum.
Perfertur quidem ad me sed nuncio incerto et non satis ve-
risimili, Ducem Arschotum, et Dominum de Havrech
una cum alijs duobus viris in Belgio primarijs in fratris
Comitis Ludovici potestatem pervenisse.
Illud autem nolo te nescire pro explorato me accepisse,
Comitem Albertum a Leewestein, quinque equitum turmis
ab Albano praefectum, iam eas colligere. Quod si vel
Principum authoritate vel alia quavis commoda ratione
huic eius incepto occurri atque intercedi possit, videtur
profecto non levis futurum operaepretium. Atque ut tecum
quid hic facto sit opus expendas et rem totam cum Illustrissimo
Domino Electore conferas, meque deinde quod e re vobis visum
erit, certiorem primo quoque tempore facias, rogo.
De catalogo armorum quem ad me misisti habeo gratiam
Sed quoniam hoc tempore non suppetunt rationes ea coemendi
necessitas cogit, ut eam opportunitatem elabi patiar.
Vale Dillenbergae xj.a Junij 1572

Euer gutter freundt

Wilhelm printz zu

Uranien

empfangen Aug. 91 ...

Latine

Dem Erwirdigen vnnsern lieben
Besondern, Christoffell Dhein
des Rechten Doctorn, vnnd Chur-
fürstlichen Pfaltzgravischen geheimen
vnnd vertrawten Räthe.

Wilhelm Fürst von Oranie.

18

52